



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IX. Quænam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolvenda
Sponsalia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

atum Sponsalium? Sanch. docet, esse ipso jure irritum, ex cap. *Ex litteris de desponsat. impuberum*; ac proinde docet, quod, si hujusmodi meticolosa Sponsalia sint juramento firmata, non indigeant relaxatione juramenti ad ea non servanda; quia quando jus resistit contractui, estque contractus contra bonos mores, Juramentum confirmans talem contractum non obligat, ex Regula 58. de Regulis juris in 6.: *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.*

Equidem cenleo contra Sanch. cum Hurt., Con., Henr., Sponsalia hujusmodi nullo jure esse irrita; posse tamen personam coactam ad promittendum ab iis resilire propria auctoritate. Probatur, quia neque sunt irrita jure Ecclesiastico, nam in *Cap. ex litteris* citato a Sanch. sermo est de puella, quae omnino invita contraxerat; Neque sunt irrita jure naturali: Nam ad valorem cujuscumque contractus ex justitia obligantis jure naturali duo requiruntur, & Voluntarium, & Titulus; in casu autem nostro habetur Voluntarium, quamvis admixtum involuntario, ut patet in eo, qui ad vitandam mortem, quam Tyrannus minatur, nisi adulteretur, committit adulterium; hic enim vere peccat, eo quod talis metus non tollat libertatem: Praeterea in casu nostro habetur Titulus; quia datur jus ad corpus unius pro jure ad corpus alterius; cum enim uterque habeat dominium in suum corpus, potest uterque promittere illud in matrimonium pro repromissione alterius.

X. Ex dictis sequitur contra Sanc., quod qui ex metu gravi injuste incusso ad extorquenda sponsalia promittit matrimonium cum juramento, obligatur ad matrimonium ratione juramenti; non secus ac qui promittit cum juramento solvere pecuniam latroni ad vitandam mortem, tenetur

ratione juramenti. Et ratio est, quia juramentum obligat, quando licite impleri potest, ex *Cap. Debitores*, & ex *Cap. ult. de Jurejurando*: Propter ea indiget relaxatione juramenti, si velit Sponsalia isthaec meticolosa dissolvere.

ARTICULUS IX.

Quanam probatio, & Judicis auctoritas requiratur ad dissolutionem Sponsalium?

- I. Pro foro interno sufficit solida probabilitas, quod detur causa sufficiens ad Sponsalia dissolvenda.
- II. At pro foro externo requiritur, vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de impedimento dirimente, ut ratione talis impedimenti Sponsalia dissolvantur. Si vero causa, qua allegatur ad resiliendum, non sit impedimentum dirimens, sed, verbi gratia, fornicatio Sponsae, requiruntur duo testes.
- III. Ad servanda Sponsalia cogere potest Judex Ecclesiasticus; Necnon etiam Judex Secularis: dummodo ex injuria nuptiis gravia scandala non oriantur.
- IV. Solus Pontifex potest ex gravi causa in Sponsalibus dispensare.

I. **Q**Uæritur primo; Qualis probatio sufficiat tam pro foro interno, quam pro externo ad dissolutionem Sponsalium?

Respondeo cum Con. dub. 11., & aliis communiter, pro foro interno quamlibet probationem moraliter certam sufficere; quia in moralibus ad operandum exigi nequit major certitudo. Notat autem Sanch. lib. 1. disp. 69. ad certitudinem hanc moralem habendam non requiri, ut nulla sit opinio contraria, sed satis esse, ut juxta opinionem vere probabilem detur causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia;

lia; Nam in moralibus ad operandum hæc dicitur certitudo, cum satis sit, ut quis tuto operetur, amplecti opinionem probabilem, Quare si, verbi gratia, vir doctus (qui opinionem probabilem faciat) asserat dari causam sufficientem ad sponsalia dissolvenda, aut si testis fide dignus omni exceptione major de certa scientia ostendatur, verbi gratia, sponsæ fornicationem, & nulla suspicio mendacii subsit, procul dubio potest Sponsus a Sponsalibus resilire, nixus sive opinionem probabili viri docti, sive certitudini morali talis testis. Quod tamen intelligendum, nisi ex dissolutione Sponsalium scandalum sequatur; si enim scandalum sequeretur, ad Judicem recurrendum est. Quod si causa sit occulta, ne infametur alter apud Judicem, monendus ille erit privatim, ut a petendo matrimonio desistat, & sic infamiam devitet. Quod si desistere nolit, aut nihil per admonitionem speretur, res tota poterit ad Tribunal Judicis deferri: Quilibet enim potest vitia occulta alterius detegere in propriam defensionem; Sicut possumus latronem occultum denunciare ad vitandum damnum proximi. Eodem modo, quando causa est dubia, nemo potest propria auctoritate Sponsalia dissolvere, sed ad Judicem recurrendum est.

II. Pro foro autem externo, ut Judex dissolvat Sponsalia ob impedimentum aliquod matrimonii, sufficit vel unus testis fide dignus juratus, vel fama de tali impedimento, ut supra diximus; cum enim agatur de peccato vitando, quod Sponsi committerent, si cum tali impedimento matrimonium contraherent, satis est unus testis juratus. Quod si causa, quæ ad sponsalium dissolutionem allegatur, non sit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, sed sit id, quod alteri dat jus ad resilendum,

ut est, verbi gratia, fornicatio Sponsæ, tunc non satis est unus testis juratus, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, ut notant Sanch. & Con. Sicut etiam duo testes requiruntur ad dissolvendum matrimonium contractum, seu ad declarandum matrimonium contractum fuisse nullum ob impedimentum dirimens. Ratio disparitatis est, quia in primo casu agitur tantum de peccato vitando; at in his casibus agitur de peccato probando, & de præjudicio tertii, ad quod duo saltem testes requiruntur, ut in communi ordine judiciorum.

III. Queritur secundo; Quomodo Judex cogere possit sponsum retentem ad servandam fidem sponsalium datam?

Respondeo, Ecclesiastico Judici id competere, ut communiter docent; quia ad Judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere, & judicare de Sacramento matrimonii, ad quod tendit contractus sponsalium. Potest etiam Judex secularis cogere sponsum ad sponsalia etiam jurata servanda, ut docent etiam communiter Doctores cum Sanch. disp. 29.; quia universim Judex secularis cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiam si juramento illi firmati sint; ergo etiam ad servanda sponsalia jurata; Quod pariter ex usu, & præxi constat.

Notandum tamen, quod non sit cogendus injuste resiliens ad sponsalia implenda, quando Judex arbitrat ex invitis nuptiis gravia mala, & scandala timeri, qualia sunt perpetua rixa, desertio uxoris, vel quod coactus fidei contrahat. Ita communiter apud Perez ex cap. Ex literis de sponsalibus; ubi dicitur, Renuens esse censura compellendus, nisi rationabilis causa obstiterit.

IV. Notat etiam Sanch. lib. 1. disp. 61.

61., solum Papam, tamquam supremum spiritualem Judicem, posse in sponsalibus ex gravi causa dispensare, non vero Episcopum; eo quod per sponsalia jus Tertio acquisitum sit:

Qua de causa negant communiter Doctores, quod possit Episcopus relaxare juramentum in præjudicium Tertii. Atque hæc de sponsalibus.

Q U Æ S T I O III.

De Matrimonio secundum se, ejusque Institutione, Indissolubilitate, & Unitate.

Matrimonium dictum est, ut ait Glossa, a Matre, quia mulier nubit, ut mater fiat, & est quasi Matræ munus, seu munus, cum per illud imponatur feminae munus generandæ, & educandæ prolis. Potius a matre appellatur, quam a Patre, quia illa certior est in generatione; unde etiam proles ex matre contrahit conditionem servi, vel liberi. Alii Matrimonium interpretantur, quasi matrem muniens, quia uxor per matrimonium acquirit virum, a quo defendatur, & muniatur.

Matrimonium alio nomine appellari solet connubium, Conjugium, Nuptiæ. Dicitur connubium, & Nuptiæ a nubendo, vel velando, aut quia mulier ex antiquissima consuetudine velo, quasi nube operiebatur, ut se viro inferiori, & subditam ostenderet; aut quia ob novam ceremoniam Ecclesiæ velamine quodam teguntur conjuges, quando ab Ecclesiâ benedictionem accipiunt. Dicitur vero Conjugium, quia est conjunctio duorum, qui sub eodem jugo societatis perpetuo copulantur, ita ut efficiantur una caro. Examinabimus hic primo, Quid sit matrimonium, inquantum est contractus, & inquantum est Sacramentum: Secundo ejus institutionem: Tertio indissolubilitatem, & unitatem.

ARTICULUS I.

Quid sit Matrimonium, inquantum contractus, & inquantum est Sacramentum?

- I. Matrimonium, inquantum est contractus, est causa efficiens matrimonii sumpti pro vinculo indissolubili, seu pro mutuo jure conjugum.
- II. Matrimonium formaliter sumptum non est mutuus consensus conjugum, sed est vinculum, quod ex eo causatur.
- III. Potest hujusmodi vinculum dari di-

vinis sine consensu conjugum.

- IV. Non est Sacramentum Matrimonium sumptum formaliter pro vinculo, sed sumptum causaliter pro contractu.
- V. Si conjuges Religionem ingrediantur, remanet vinculum, seu dominium mutuum in corpora, sed impeditur.
- VI. Beatissima Virginis cum D. Josepho Matrimonium qua ratione consistere poterat cum utriusque voto Virginitatis?
- VII. Quanam sit Matrimonii definitio?
- VIII. Quodnam Matrimonium de facto sit Sacramentum? Ecclesia materiam